

per ea quae habet GAILIVS 1. *obs. ult. n. 6.* et BEND. *conclus. 38. per tot.* quemadmodum nec a Caesare male informato ad melius informandum appellare licet.

§. XXVIII.

Pro complemento huius capituli notandum, erroneum esse et in Reuisione imperiali non obtinere quod tradit VALASCVS *consult. 51. n. 51.* nimirum, quod ubi appellatio ab interlocutoria vim definitivae habente statuto esset interdicta, nec reuiforium remedium locum haberet. Nam praeterquam quod huiusmodi Statuto Superiori preiudicium infertur, appellatio quoque, quae species defensionis sicque iuris naturalis est, ita plane tolli non potest, ut non aliud adminiculum relinquatur. Inde huiusmodi statutum improbatum per expressum textum in *Ord. Cam. tit. 28. §. und dieweil bissher.* Alia autem plane ratio est in priuilegio de non appellando, quo Elector Saxoniae et Brandenburgicus inter alios maxime eminent, quod etiam haud obscure innuunt verba in *d. §. ibi: oder aber daß er vermöge eines rechtmäßigen Privilegien seiner Obrigkeit oder Richter auch sonst von Rechts wegen nicht appelliren könnte oder möchte &c.* Et de hoc Ducum Saxoniae priuilegio vide KNICHEN. *de Saxon. non prou. Iure. CARPZ. p. 1. Const. 20. def. 23.* quo lectorem breuitatis causa remitto, hac tamen obseruatione, etsi a sententiis Electoris et Ducum Saxoniae prouocare non liceat ad Cameram Imperialem, quod tamen Querela super denegata iustitia per id prohibita non sit, GAIL. 1. *obs. 135. num. 4. CARPZ. d. Const. def. 24.*

C A P. V.

D E

F O R M A.

§. I.

Petendae Reuisioni per Ordinationem Cameralem et Recessus Imperii certa Forma praescripta est, quam victus senten-

ten-